

tale pretium, relinquens deputato si quid pluris obtinuerit ab Emptore. — 52. Non possunt autem sibi aliquid retinere famuli, et famulae, quibus a Domini indeterminate pretio traditur res vendenda meliori modo, quo possunt in utilitatem ipsorum dominorum. — 53. Regulariter loquendo, quando aliter non constat de voluntate Domini, quilibet deputatus ad vendendam rem determinato pretio, v. gr. pro decem, si ei contingat vendere pro duodecim, non potest sibi licite retinere illa duo. — 54. Venditor non potest plus justo augere pretium mercis solum ex eo quod videat emptorem valde indigere illa, aut valde affici erga illam. — 55. Venditor pro re valde rara et peregrina probabilis non potest repetere ab Emptore quodcumque sibi arbitrarium, et excessivum pretium, sed solum illud, quod peritorum arbitrio spectatis omnibus circumstantiis industrie, raritatis, pulchritudinis, periculi, laboris, etc., justum censetur. — 56. Contraria sententia est etiam probabilis, quod scilicet pro gemmis extraordinariis, picturis antiquis, avibus indicis, aliisque animalibus, et rebus valde raris, et peregrinis, valeat licite accipere quantum vult, et potest. — 57. Vendens in fraudem Creditorum, quibus re vendita, sit incapax solvendi, quod debet, peccat graviter, et tenetur quantum potest ad restitutionem. — 58. Et quamvis talis fraudulenta venditio, si sit facta ignorantibus, remaneat valida, tamen si sit facta scienti fraudem, rescindi potest a creditoribus, etiam non restituito pretio ipsi emptori. — 59. Si autem Creditores intra annum, quo repetendi potestas est, non repetant rem in suum damnum a debitore fraudulenter venditam, tunc Emptor securus est in foro externo. — 60. In foro tamen interno Emptor sciens fraudem Venditoris non remanet securus. — 61. Non desunt autem magni nominis Doctores, qui tenent talem emptorem remanere tutum etiam in conscientia. — 62. Venditor fingens literas de submersis navibus, quae merces advehebant, vel spargens falsum rumore de penuria, et charitate mercium in aliis proximis Regionibus, vel de obsidione Urbis, et de aliis similibus, quae solent pretium mercium valde augere, si ob talem fraudem vendat charius, quam venderet suas merces, peccat graviter, et tenetur ad restitutionem. — 63. Unde generaliter omnis Venditor, qui fraude, aut mendacio inducit emptorem ad emendum majore pretio quam empturus esset, quamvis pretium, quod cedit, adhuc fuerit intra limites justitiae, ratione suae fraudis, seu consimiliter maligni mendacii graviter peccat, et tenetur ad restitutionem. — 64. Si tamen Venditor, aut Mercator solum dicat, ut etiam juret, mercem sibi pluris constare, se pluris vendidisse aliis, et hujusmodi, quamvis Emptor sic inducatur ad dandum majus pretium, quam non daret, non obligatur ad restitutionem, si sistat intra limites justitiae, licet peccet sic mentiando, et jurando. — 65. Vendens quid pro quo aequale utile ad finem Emptoris, v. g. dans infirmo unum medicamentum pro alio, tunc si tale aliud medicamentum sit aequale utile infirmo, et ejusdem virtutis, ac praescriptum a Medico, non peccat saltem graviter, nec tenetur ad restitutionem, si tale medicamentum non sit inferioris pretii ac aliud. — 66. Si tamen Pharmacopola praevideat, vel metuat tale aliud medicamentum graviter periculosum, et damnosum fore, vel esse posse infirmo, graviter peccabit dando unum pro alio, et tenetur ad restitutionem omnium damnorum. — 67. Venditor habens frumentum venale, et sit illud revera servaturus usque ad tempus quo solet plus valere, potest licite nunc vendere majore pretio, quam actu valeat, si ab emptore rogetur, ut ipsi nunc vendat. — 68. Sic etiam licite vendit pretio solvendo quo valebit, v. g. ultima hebdomada Maii et prima,

Junii, quando solet plus valere, dummodo revera esset illud servaturus vendendum usque ad illud tempus. — 69. Et dato quod pretium ultimae hebdomadae Maii diversum esse contingat a pretio primae hebdomadae Junii, tunc debet summi pretium medium. — 70. Debet tamen ab hoc pretio deducere expensas, quas facturus erat venditor in servando triticum, et etiam alia damna, quae passurus erat. — 71. Venditor non potest licite vendere triticum de mense Novembris, v. g. summo pretio, quo veniet toto tempore intermedio usque ad Novembrem sequentis anni. — 72. Venditor graviter peccat, et tenetur ad restitutionem, si triticum aqua madefaciat, lanam, et hujusmodi in loco humido reponat, ut plus ponderet; pannos, et hujusmodi ad majorem mensuram, vel pondus, quam in se sint dolois artibus trahat. — 73. Venditor potest licite vendere rem cum pacto retrovendendi, seu redimendi in futurum. — 74. Quantum vero diminui debeat de pretio propter tale onus revenditionis impositum emptori, relinquendum est iudicio, et arbitrio prudentium. — 75. Cavendum tamen est, ne in similibus pactis retrovenditionis intercedat damnatus contractus *Mohatra*. — 76 ad 81. Quae sit differentia quae intercedit socium inter et fiscum circa venditionem rei communis. — 82. Num Christiani Mercatores merces ad infideles licite transferre possint. — 83. ad 92. Contractus nuncupati *Fitto-franco*.

ARTICULUS IV. — *Quoad ea quae concernunt commodum, periculum, et retractum rei venditae.*

1. Commodum et fructus rei venditae post traditionem pertinent ad Emptorem. — 2. Fructus rei venditae adhuc pendens tempore contractus venditionis etiam ante traditionem pertinent ad Emptorem, sive sint maturi, sive immaturi. — 3. Immodum fructus pendentes, seu extantes tempore contractus, sed etiam fructus nati, et producti post celebratum, et absolutum contractum pertinent ad emptorem, etiam si res nondum tradita sit, nec cautio fidejussoria, aut pignoratitia praestita, nisi aliter inter contrahentes conventum fuerit. — 4. Contraria tamen sententia defenditur communiter a Legistis, et etiam a variis Theologis. — 5. Si circa perceptionem fructuum provenientium ex re vendita fuerit facta aliqua specialis conventio inter emptorem et venditorem, erit omnino observanda. — 6. Hinc licitus est contractus, cum fundus fructuosus emitur eo pacto, ut post tot annos duntaxat Emptor pretium, de quo conventum est, solvere teneatur Venditori, et interim Venditor usuras summae capitalis percipiat, donec ipsa soluta sit. — 7. Sic etiam licitus est contractus, quando Venditor per specialem conventionem tantum sibi reservat de fructibus rei venditae, quantum ex dilatione solutionis prudenter sibi timet imminere damni emergentis, vel lucri cessantis. — 8. Postquam autem Venditor jam transiit Dominium in emptorem, nullumque apparere periculum lucri cessantis, vel damni emergentis, non potest ob solam dilatam solutionem pretii sibi reservare fructus rei venditae. — 9. Item licitus est contractus, quando Venditor ita convenit cum Emptore, ut Dominium et periculum rei venditae ad ipsum pertineat ante pretii solutionem, et perinde ad se pertineant fructus interim ex ipsa provenientes. — 10. Periculum rei venditae post traditionem pertinet statim ad Emptorem. — 11. Immo periculum rei venditae pertinet ad emptorem etiam ante traditionem, si vendatur res certa et determinata in individuo. — 12. Limitatur tamen haec conclusio in pluribus casibus. Primo, quando emptor et venditor specialiter inter se conveniunt, ut periculum remaneat penes Venditorem, donec res empta tradita sit Emptori. — 13. Limitatur secundo, quando Venditor est in mora tradendi, et res interea casu fortuito perit, vel deterior sit. — 14. Si autem non solum Venditor in tradendo, sed etiam Emptor in rem sibi oblatam

recipiendo fuit in mora, tunc periculum spectat ad illum qui est in posteriori mora. — 15. Si vero res aequae perisset, vel deterior facta fuisset apud Emptorem, si ei tradita fuisset, ad nihil tenetur Venditor ob talem moram. — 16. Limitatur tertio, quando res vendita ante traditionem perit ex dolo, aut culpa lata, vel levi Venditionis. — 17. Limitatur quarto, quando res vendita ante traditionem ex delicto Venditoris addicitur Fisco. — 18. Limitatur quinto, quando venditio est facta conditionate, et ante impletam conditionem res totaliter perit. — 19. Si vero res sub conditione vendita totaliter non pereat, sed tantum deterior evadat, totum periculum, conditione impleta, spectabit ad Emptorem. — 20. Quando res in pondere, numero, aut mensura consistens, venditur ad mensuram, tunc antequam res ipsa tradatur mensurata, ponderata, aut numerata, omne periculum pertinet ad Venditorem. — 21. Sic etiam si vinum, mel, vel quid simile vendatur ad corpus quidem et non ad mensuram, attamen cum pacto, ut degustetur, antequam omnino rata, vel perfecta venditio sit, tunc ante degustationem factum periculum spectat ad venditorem. — 22. Si tamen certus terminus mensurationis, ponderationis, numerationis, aut degustationis praefixus fuit, aut Venditor coram testibus Emptorem moneat, ut intra certum tempus ad mensurandam, numerandam vel degustandam rem emptam accedat, post culpabilem ejus moram periculum ad Emptorem ipsum pertinet. — 23. Quando res aliqua vendita est ad corpus totum sine ordine ad mensurandum, tunc periculum spectat ad Emptorem. — 24. Si autem vendatur totum corpus quidem, sed cum ordine ad mensurandum, tunc cum venditio sit ad mensuram, donec non sit mensuratum, periculum pertinet ad Venditorem. — 25. Item erit venditio ad mensuram, si ex toto grave vendatur 10. oves: ex toto cumulo tritici 10. modii: ex toto dolio 10. urnae; et sic donec oves fuerint designatae, modii tritici, et urnae vini mensuratae, periculum spectat ad venditorem. — 26. *Retractus gentilitius* quid sit. — 27. Sola bona immobilia retrahi possunt. — 28. Retrahere possunt omnes Venditoris consanguinei, non tantum Laici, sed etiam Clerici. — 29. Religiosus autem consanguineus, vel ejus loco Monasterium retrahere nequit. — 30. Jus retrahendi ante omnes competit Liberi, sive masculis, sive feminis. — 31. Dummodo tamen Liberi sint legitimi. — 32. Liberi non extantibus competit hoc jus consanguineis collateralibus cum praelatione semper ad proximiorum Venditoris. — 33. Si plures sint consanguinei ejusdem gradus, possunt omnes simul retrahere, et rem retractam possidere in communi, vel si dividi potest, dividere, aut sorti committere. — 34. Cum Fratre superstite nequeunt simul retrahere liberi Fratres Defuncti. — 35. Si consanguineus proximior retrahere nolit, competit tale jus consanguineo remotiori, ordine gradus semper servato. Et si unus ex aequaliter propinquis cedat Juri suo, admittendi sunt ad retrahendum reliqui in solidum. — 36. Legitime retrahere volens debet quatuor potissimum condiciones observare. Primo debet retrahere intra annum, et diem. — 37. Secundo debet offerre integrum pretium ab Emptore extraneo solutum una cum omnibus sumptibus, et expensis ratione contractus necessario factis. — 38. Tertio debet refundere factas interea ab Emptore in rem expensas necessarias, et utiles quas ipse consanguineus, vel retrahens fecisset. — 39. Quarto debet suo nomine, et in suum, non vero in alterius commodum, retrahere. — 40. Hinc si proximior consanguineus Venditoris ad impediendos alios remotiores consanguineos a tali retractu, fraudulenter, et dolose retrahat pro alio extraneo, fingens retrahere pro se, et in suum commodum, peccat contra justitiam, et tenetur ad compensanda damna illis inde secuta. — 41. Sic etiam peccat contra justitiam, et tenetur ad compensanda damna inde secuta extra-

neus ille, qui emit agrum seu domum, v. g. pro 100. sed timens ne domus, seu ager retrahatur a consanguineis, ut hos deterreat cum consensu venditoris scribit in instrumento fraudulenter, et dolose, se emisso pro 290. — 42. Adducitur laudabilis consuetudo, et praxis ad evitandas similes fraudes et dolos. — 43 ad 51. An emptio et venditio perfecta, cum res vendita non sit tradita, si fortuito casu pereat, damno Emptoris pereat. — 52. ad 59. *Retractus conventionalis, legalis et gentilitius.*

ARTICULUS V. — *Quoad ea quae concernunt Actiones ex empto et vendito, et Actionem ob lesionem ultra dimidium, et pactum legis Commissoriae, et Adiditionis in diem.*

1. Quid sit, et ad quae detur Actio ex empto, seu empti. — 2. Hoc jus, seu Actio, oritur statim ac habetur perfecta venditio. — 3. Non potest cum effectu institui contra venditorem, nisi prius sit pretium ex integro solutum, aut saltem realiter ei oblatum. — 4. Quid sit, et ad quae detur Actio ex vendito, seu venditi. — 5. Hoc jus, seu Actio, oritur statim ac habetur perfecta emptio. — 6. Non potest cum effectu institui contra emptorem, nisi prius a venditore res sit tradita ipsi emptori. — 7. Quid sit, et ad quae detur Actio Redhibitoria. — 8. Unde vocetur Redhibitoria. — 9. Actio Redhibitoria competit non solum emptori, sed etiam ejus haeredibus. — 10. Potest intentari non solum contra venditorem, sed etiam contra omnes ejus haeredes. — 11. Quid sit, et ad quae detur Actio Aestimatoria, seu quanto, vel quanti minoris. — 12. Unde vocetur Aestimatoria, seu quanto, vel quanto minoris. — 13. Actio Aestimatoria, seu quanto, vel quanti minoris competit non solum emptori, sed etiam ejus haeredibus. — 14. Potest intentari non solum contra venditorem, sed etiam contra omnes ejus haeredes. — 15. Si venditor ignorans vitium rei, ipsam sine ulla malitia, et fraude vendidit tamquam bonam, non tenetur de damnis inde secutis, sed sola Actione Aestimatoria conveniri potest ad restituendum pretium quanto minoris emptor emisisset, si vitium rei scivisset. — 16. Si autem venditor rem notabili vitio laborantem scienter, et malitiose vendidit emptori, potest conveniri ab emptore Actione Redhibitoria, vel Aestimatoria non solum ad restituendum pretium, vel partem ejus, sed etiam ad compensanda omnia inde secuta damna. — 17. Pro instituenda Actione Redhibitoria conceduntur sex menses. — 18. Pro instituenda autem Actione Aestimatoria conceditur annus integer. — 19. Quando ob vitium rei conceditur Actio Redhibitoria, potest emptor intra sex menses loco ipsius assumere Aestimatoriam, ita tamen, ut una assumpta variare amplius non possit. — 20. Si tamen intra sex menses emptor nullam intentaverit Actionem, potest post illos sex menses adhuc intentare Actionem Aestimatoriam. — 21. Anno tamen elapso nullam amplius Actionem, nec Redhibitoriam, nec Aestimatoriam poterit emptor intentare: In foro enim externo tales Actiones eo tempore praescribuntur. — 22. In foro interno tamen nunquam eximitur venditor ab obligatione restituendi, vel compensandi damna per talem deceptionem illatam emptori. — 23. Actio ob lesionem non conceditur de Jure Civili; nisi lesio sit ultra dimidium. — 24. Sic etiam de Jure Canonico loquendo de foro externo. — 25. In foro autem interno etiam infra dimidium laedens tenetur ad restitutionem, etiam si ex ignorantia, et bona fide laeserit. — 26. Minoribus 25 annis conceditur Actio contra graviter laedentem, etiam si lesio sit infra dimidium. — 27. Sic etiam conceditur Ecclesiis, ac Communitatibus. — 28. Sic etiam conceditur universaliter omnibus laesis infra dimidium, si lesio facta est ex dolo, vel fraude. — 29. Ob lesionem ultra dimidium competit Actio venditori contra emptorem. — 30. Item competit contra venditorem. — 31. Lesio

ultra dimidium eodem modo, et æqualiter computari debetur in venditore, et emptore. — 52. Emptor ultra dimidium lædens tenetur, vel defectum pretii supplere, vel rem iterum restituere. — 53. Sic etiam venditor ultra dimidium lædens tenetur, vel excessum pretii restituere emptori, vel rem venditam iterum recipere, restituito toto pretio accepto. — 54. Nec emptor, nec venditor satisfacit restituendo tantum quantum sufficit, ne læsio sit amplius ultra dimidium, sed debet integre restituere totum id quod deest justo pretio. — 55. Quando læsio ultra dimidium facta est bona fide, et emptor iterum restituit rem emptam, potest fructus interea perceptos sibi retinere in utroque foro. — 56. Quando vero læsio ultra dimidium facta est mala fide, seu dolose, et fraudulenter, tunc emptor tenetur una cum re etiam omnes fructus perceptos restituere. — 57. Quando læsio est facta bona fide, et rescinditur contractus, venditor tenetur refundere emptori expensas quas interea in necessarias, et utiles rei meliorationes fecit. — 58. Actio contra lædentem ultra dimidium bona fide, institui potest usque ad triginta annos. — 59. Contra lædentem vero mala fide, potest institui Actio usque in perpetuum. — 60. Pactum legis Commissoriae, seu Lex Commissoria quid sit, et ad quæ detur. — 61. Si emptor determinato per pactum tempore pretium non solvit, dicitur Lex commissaria, et statim ipso jure res ad venditorem redit. — 62. Etiam si emptor a venditore ad solvendum non moneatur, aut interpelletur. — 63. Immo non solum res ipsa iterum ad venditorem, sed etiam fructus interea ab emptore percepti, et reliqua commoda, vel accessiones rei eidem venditori restitui debent. — 64. Venditor tamen lege commissaria, seu pretio per emptorem, statuto tempore non soluto, habet in sua

ARTICULUS I.

Emptio, et venditio quoad suum esse, et a quibus, et de quibus fieri possit, et debeat, vel non?

(1. Emptio est pactio pretii pro merce. Venditio est pactio mercis pro pretio; l. 1. ff. de contrahenda emptione. Vel emptio est contractio rei pro pretio: Venditio vero est distractio rei pro pretio: l. 1. Cod. de rescindenda venditione. Sensus integer, et clarus definitionis est iste: « Emptio, et Venditio est contractus mutuo consensu initus, utroque obligatorius de determinata merce pro determinato pretio, et e contra de determinato pretio pro determinata merce tradenda. Est in re communis; » Arg. cit. l. 1. ff. de contrahenda empt. et vendit. (2. Dicitur Primo contractus mutuo consensu initus, quia emptio, et venditio essentialiter perficitur mutuo consensu de tali pretio pro tali merce, dando, et accipiendo, non enim requiritur actualis traditio pretii pro merce, et e contra, sed solus sufficit mutuus contrahentium de hoc faciendo consensus, textu expresso Instit. de empt. et vendit. in princip. ibi: « Emptio, et venditio contrahitur simul atque de pretio convenerint, quamvis nondum pretium numeratum sit. » (3. Dicitur secundo utroque obligatorius, quia uterque contrahentium ex tali contractu obligatur, emptor quidem ad tradendum pretium conventum, venditor autem ad tradendam mercem venditam; l. Ex empto 11. § 1. ff. de action. Empti ibi: « Cum nihil magis bonæ fidei congruat, quam id præstari, quod inter contrahentes actum est. » (4. Dicitur

libertate, vel pretium adhuc petere, vel rem venditam una cum fructibus repetere, dummodo statim se resolvat, et semel alterutro electo, non amplius variet. — 45. Emptor autem non habet hanc libertatem eligendi, sed debet præstare id quod venditor elegerit. — 46. Pactum additionis in diem quid sit; et ad quæ detur. — 47. Quare dicatur *Additio in diem*. — 48. Quis censeatur offerre meliorem conditionem. — 49. Si venditione cum pacto Additionis in diem celebrata, intra tempus determinatum, alius emptor meliorem conditionem offerat, et eam venditor acceptet, statim ipso jure absque ulla Actione res vendita iterum redit ad venditorem. — 50. Et tunc debet emptor restituere venditori nedum ipsam rem, sed etiam omnes fructus interea ex illa perceptos, et accessiones, et commoda illius. — 51. Potest tamen emptor deducere expensas, quas interea in rem necessario fecit, et venditor tenetur eas ipsi compensare. — 52. Pactum Additionis in diem ut suum sortiatur effectum, debet habere sequentes condiciones. Prima est, ut sincere absque dolo, et simulatione ab alio emptore melior conditio offeratur venditori. — 53. Secunda est, ut emptor primus nolit ipse oblatam meliorem conditionem præstare, vel adæquare. — 54. Tertia est, ut venditor oblatam a secundo emptore meliorem conditionem reipsa acceptet. — 55. Quarta est, ut intra diem, seu tempus Additionis venditor non moriatur, vel si moriatur adsit intra illud tempus hæres idoneus, cui melior conditio possit offerri. — 56, 57. Actio empti competit emptori. — 58 ad 61. Actio venditi competit venditori. — 62. Uter prior Contractum implere debeat, emptor, an venditor. — 63. Cui competat probare Contractus implementum. — 64 ad 75. Quando majorenni conceditur, vel non, Actio doli ob læsionem.

tertio de determinata merce pro determinato pretio, et e contra de determinato pretio, pro determinata merce tradenda, quia ad hoc ut valeat emptio et venditio, debet determinata merces pro determinato pretio vendi, et emi, aliter nullus erit contractus, l. *Quod sæpe* 35. § de contrahenda emptione. (5. Nomine autem mercis venit quælibet res pretio æstimabilis, sive sit mobilis, sive immobilis, sive sit actio, sive jus, sive officium, sive hujusmodi l. *Si in emptione* 24. § *Omnium* 1. ff. de contrahend. emption. (6. Nomine vero pretii venit solus nummus, seu numerata pecunia; § *Item* 2. Instituti de emption. et vendit. ibi: « Pretium innumerata pecunia consistere debet. » Pretium enim definitur, quod sit pecunia valori rei commensata.

(7. Nummum a Numa Rege, qui nummos primum apud Latinos imaginibus notavit, et titulo nominis sui præscripsit, vocatum tradit Isidor. lib. 16. Orig. cap. 17. ut refert Calvinus verb. *Nummus*, ubi infra subjungit: « Quid tamen si vocem latinam a verbo, et ipso latino derives, nempe a numero; nam nummi functio, non minus opinor, numero constat, quam pondere. » (8. Pecunia vero ex S. Augustino relato in Cap. *Tuam* 6. caus. 1. quæst. 3. dicta est a pecoribus, ibi: « Ideo autem pecunia vocata est, quia antiqui totum, quod habebant, in pecoribus habebant. »

(9. Unde nummi appellatio strictior est quam pecuniæ; leg. *Litigatores*, § *Quod ait Prætor*, de arbitris leg. 1. de contrahend. emption. Calvin. l. c. (10. Ubi nummus, seu pecunia non intervenit, sed res una pro altera; merx pro merce datur, permutatio, vel alius contractus, non autem emptio, et

venditio erit; arg. leg. *Origo* 1. ff. de contrahend. emption. ubi etiam emptionis et venditionis nummi, seu pecuniæ, et pretii origo narratur his verbis: « Origo emendi, vendendique a permutationibus cœpit. Olim enim non ita erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur; sed unusquisque secundum necessitatem temporum, acrerum, utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit; ut quod alteri superest, alteri desit, sed quia non semper, nec facile concurrebat, ut cum tu haberem, quod ego desiderarem, vicissim haberem, quod tu accipere velles: electa materia est (pecunia nempe, seu nummus) cujus publica, et perpetua æstimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis subveniret: Ea que materia, forma publica percusa usum, dominiumque non tam ex substantia præbet, quam ex quantitate; Nec ultra merx utrumque, sed alterum pretium vocatur. »

(11. Pretium id appellari Varro auctor est, quod æstimationis, emptionisque causa constituitur, dictum quasi *peritium*, quia statui debet ex opinione communi eorum, qui istarum rerum periti sunt, non prout cuique videtur. Gædd. ad Leg. *Hæc verb.* 192. num. 2. ff. de verb. signific. Revard. Leg. *Imaginar. venditio*, ff. de Regul. Juris. Calv. verb. *Pretium*. (12. Pretium generaliter loquendo est duplex, scilicet legitimum, seu legale, et naturale, seu vulgare. Legitimum, seu legale, sic dictum a lege, est illud, quod a lege publica, seu decreto Principis, vel Magistratus habentis ad id potestatem, omnibus prudenter, et attente consideratis, pro communi totius Reipublicæ bono taxatur. Pretium naturale, seu vulgare est, quod non a lege publica, seu decreto Principis, aut Magistratus, sed communi ac prudenti hominum æstimatione constituitur, considerata non solum ipsa rei natura, sed etiam ejusdem utilitate, vel necessitate, abundantia, vel penuria, ipsaque hominum affectione, arg. l. *Pretia rerum* 63 ff. ad l. *Falcid.* Quia tamen diversa est hominum opinio, et consequenter diversa rei æstimatio, hinc hoc pretium non consistit in indivisibili, seu in certa, ac determinata pecuniæ quantitate uti pretium legitimum, seu legale, sed patitur latitudinem pretii infimi, seu pii, pretii medii, seu moderati, et pretii summi, seu rigorosi; quod item est ac dicere quod pretium naturale, seu vulgare dividitur in infimum, seu pium, in medium seu moderatum, et in summum, seu rigorosum. Pretium infimum, seu pium est infra quod non potest juste res emi. (13. Pretium summum, seu rigorosum est supra quod non potest juste res vendi. Pretium medium est supra quod juste potest res vendi usque ad pretium summum, et infra quod potest res juste emi usque ad pretium infimum. Quantam autem latitudinem patiat hoc pretium naturale, seu vulgare ob varia hominum judicia, nequit omnino certa et determinata mathematica regula statui. Hoc solum certum videtur, nempe res pretiosiores majorem pati latitudinem, et viliores minorem; Unde si pretium lei medium

sit 10. summum erit 11. cum dimidio, et infimum 8. cum dimidio, et erit latitudinum trium graduum; Si autem medium sit 100. summum erit 105. et infimum 95. et erit latitudo decem graduum; Et sic proportione servata regulanda sunt pretia; sed semper cum dependentia à Judicio prudentis, consideratis circumstantiis, seu prout in foro, et communibus negotiationibus sine fraude apparet.

(14. Quodvis trium horum pretiorum justum est ac licitum; Unde quoad emptio, et venditio sit intra limites pretii summi, et infimi, est justa, et licita in utroque foro, quamvis eadem res specifica ab aliis infimo, ab aliis medio, et ab aliis summo pretio vendatur, et respective ematur. Scotus in 4, dist. 15, quæst. 2, art. 2, Navarr. in Manual. cap. 23, num. 7. Layman, lib. 3, traie 4, cap. 17, § 1, num. 4, et communis aliorum. (15. In foro conscientie omnis venditio notabiliter excedens pretium summum, seu rigorosum, et omnis emptio non attingens pretium infimum, seu pium, est injusta, et illicita; et per restitutionem ad æqualitatem reducenda. S. Augustinus lib. 3, de Trinitat. cap. 3. S. Thomas quæst. 77. art. 1; Scotus in 4, dist. 15, quæst. 1, S. Antonin. part. 2, tit. 1, c. 16, § 3, et communis aliorum, et colligitur ex Levit. cap. 25, num. 14. ibi « Quando vendes quippiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contristes fratrem tuum; » et ex Apostolo 1. ad Thessalon. 4. ibi: « Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de iis omnibus. » Unde S. Augustinus loc. citat. ait, « Velle vili emere, et caro vendere, utrumque vitium est. » (16. Nec faciunt contra nostram conclusionem Legislatorum placita, quibus dicitur licitum esse contrahentibus in emptione et venditione se invicem circumvenire, seu decipere, et quod res tanti valet, quanti vendi potest, juxta vulgare Juristarum dictum; Quia statim respondetur hoc totum verum esse intra limites justii pretii, ita ut venditor rem summo pretio vendere, et emptor infimo pretio emere possit, ut recte respondent Lessius lib. 1, cap. 21, dub. 1, num. 13, Reginald. lib. 25, num. 309. Covarruv. lib. 2, var. res. cap. 3, num. 2, Navarr. cap. *Qualitas* num. 45. de pœnit. Layman. loc. cit. num. 5. Reiffenstuel loc. cit. num. 122. et alii: Vel respondetur, quod hoc est permissum, seu toleratum solum in foro externo, in quo, ut mox dicetur, non puniuntur contrahentes se invicem circumvenientes, seu decipientes, nec datur actio contra illos, nisi sit læsio ultra dimidium; Non autem in foro conscientie; nam in conscientia nemini licet proximum suum ne in obolo quidem decipere. Sporer tom. 2. tract. 6., cap. 5, sect. 1, n. 27: Molina tom. 2, disp. 349: Castrop. de justit. commulat. disp. punct. 17. num. 4. Lugo. disp. 26. num. 82. Reiffenstuel loc. cit. num. 122. et alii. (17. In foro externo utroque Jure, tam Civili, quam Canonico (ob vitandam litium multitudinem, cum quasi connaturale sit homini velle vili emere, et caro vendere)